

probabiliter duntaxat notum : si *secundum* ; ergo non est assensus fidei infusæ quæ ex natura sua adhæsiōnem summam exigit.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Ex una parte evidentia stricta et proprie talis passim a fidelibus non habetur de existentia revelationis ; ex altera autem incredulitas Hæreticorum fundatur in eo principio, quod nolint credere, et credi posse negent, nisi evidentia de revelatione adsit, ut ex eorum errore de spiritu privato liquet ; ergo evidentia ejusmodi necessaria non est, sed certitudo moralis de revelatione existente sufficit.

*Conf.* Per certitudinem memoratam excluditur formido ac dubium prudens de revelationis existentia ; et voluntas satis habet fundamenti, ut prudenter imperet assensum divinæ locutioni conformem ; ergo sufficit ad fidei infusæ assensum, h. e. ad prudentem et firmissimum.

170. *Dico II.* Prærequiritur etiam *judicium practicum* moraliter saltem certum : quin et hoc absolute loquendo sufficere potest.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Ad fidem infusam prærequiritur aliquod *judicium practicum* prudentis credibilitatis ; tum quia assensus fidei, utpote prudens, prærequirit *judicium practicum* prudentiæ : tum quia fidei debet præcedere imperium voluntatis, cui certe non minus ac aliis voluntatis actibus prælucere debet dictamen certum, sed non sufficit *judicium* duntaxat probabile ; ergo.

*Conf.* S. Aug. L. de prædest. Sanctorum c. 2. n. 5. *Quis enim, inquit, non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum.* Sed cogitare esse credendum, est *judicium practicum*, et quidem moraliter saltem certum ; cum S. Aug. ib. dicat, illud cogitare esse ex gratia Dei, juxta illud 2. ad Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* ; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Si non sufficere posset certitudo moralis, sed absolute requiratur propria ac stricte talis evidentia ; ergo id proveniret ex ipsa rei natura, nempe vel quia *generatim* ad omnem actum bonum prærequiritur *judicium practicum* evidens, vel *speciatim* id exigit conditio et natura fidei infusæ : *primum* negant omnes, qui rite distinguunt inter evidentiam et certitudinem : *secundum* itidem negatur ; tum quia ratio firmitatis in assensu fidei non habetur ab hoc *judicio practico*, sed a revelatione et auctoritate divina, quæ appetiatur super omnia, sicut motiva aliorum actuum theologorum : tum quia hæc ipsa evidentia a plurimis Auctoribus confunditur cum certitudine, formidinem duntaxat prudentem excludente.

Dixi : *absolute loquendo* sufficere potest. Non enim nego, *judicium credibilitatis reflexum* evidens haberi posse, quin et illud plerumque adesse, si sit *experimentale* et *reflexum* supra certitudinem de existentia revelationis moralem, quam in mente experimur : inde tamen nihil sequitur, nisi evidentiam hujus dictaminis arguitive ac illative, aut materialiter potius esse necessariam ; non autem formaliter ex parte ipsius fidei ac absolute.

171. *Observe.* Quæ de serie actuum in fidei œconomia diximus, præcipue pertinent ad eos, qui *primo* credere incipiunt, aut mysterium aliquod, cujus notitiam antea non habuerant, recens fide credendum addiscunt : qui enim fidei actum prius jam frequentarunt, iis pristinae cognitiones facile sufficiunt, ut, ubi objectum rursus occurrit, intellectus per species relictas

excitetur ad judicandum id esse credibile et credendum. Præterea sicut *judicium practicum* sæpe duplex habetur, de *credibilitate* alterum, alterum de *credenditate* ; ita e contrario facile fit, ut *judicium practicum* et *speculativum* in unum confluant, neque formaliter ac signate inter se distincta sint.

## ARTICULUS II.

QUALIS DEBEAT ESSE CERTITUDO JUDICIORUM ACTUM FIDEI ANTECEDENTIUM ?

172. *Nota I.* Certitudo, vel, ut alii passim loquuntur, evidentia credibilitatis, ex communi Theologorum sententia, comparative ad diversum intellectum dividitur in absolutam et respectivam. *Absoluta* est, quæ tot tantisque motivis nititur, ut ista penetrata et ponderata sufficiant, respectu cujuslibet intellectus etiam sagacis et acuti, ad ingerendam cognitionem credibilitatis et revelationis existentis, excludentem omne dubium et formidinem prudentem de opposito. *Respectiva* dicitur, quæ nititur motivis talibus vel ita consideratis, ut ea satis sint ad cognitionem, quæ excludat omnem de opposito formidinem prudentem, non quidem respectu intellectus cujuscumque, sed alicujus duntaxat ratione particularis dispositionis, v. g. quia vel puer vel idiota, vel non admodum sagax est, qui nequeat omnia rite perpendere. Atque hæc certitudo in *judicio credibilitatis* potest dici *practico-practica*, quia reflectens supra statum revelationis in mente credentis proponit objectum, ut hic et nunc ab ipso credibile. Certitudo absoluta autem *speculativo-practica*, quia absolute et universaliter proponit objectum ut prudenter credibile. *Praxis* porro hujus respectivæ certitudinis sic evenire solet : pueri et indocti audiunt ex una parte Parochum, Catechistam, Parentes, aliosque, inter quos versantur, constanter ac serio affirmare, Deum Religionem nostram vel articulum particularem revelasse, et exigere a nobis fidem firmissimam (si addatur unum vel alterum credibilitatis motivum, melius fit, et utique fieri debet) : ex altera parte non occurrit illis aliqua ratio dubitandi aut formidandi, ne forte instructores fallere velint aut fallantur : unde concipiunt notitiam divinæ revelationis excludentem omnem formidinem de opposito. Certitudine hæc directa comparata, progrediuntur ad *judicium reflexum* credibilitatis, præsertim ex illo principio evidenti, quod pueri et rudes, cum ipsi res sufficienter discutere aut a falsis discernere nequeant, teneantur in rebus ad fidem et Christianos mores pertinentibus sequi ductum eorum, qui ad illas res docendas vel a Republica vel a natura constituti sunt ; dummodo non appareat ratio positiva in contrarium.

173. *Nota II.* Ad *judicium credibilitatis* moraliter certum, præter signa externa ac motiva, concurrunt etiam gratia actualis et illustratio Spiritus sancti interna : eandem aliquid conferre ad hujusmodi certitudinem satis colligitur ex D. THOMA hic q. 1. a. 4. ad 2. dicente : *Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum vel propter aliud hujusmodi* ; et q. 2. a. 9. ad 3. *Inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ, miraculis confirmatæ, et quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis ; cui præluxisse videtur S. Aug. ep. 102. (al. 169. n. 4.) ad Evod., ubi docet rudes pervenire ad veram fidem miris modis per altitudinem divitiarum sapientiæ*

et scientiæ Dei. Porro modus adjuncti ab illustratione supernaturali proveniente triplex excogitari potest: *primus* est, si Deus per illam non solum intellectum directe circa signa credibilitatis et existentiam revelationis præteritæ illustraret, sed etiam per illam actu interne et reflexe revelaret, se quondam hæc mysteria revelasse; quo casu illustratio foret nova revelatio, adeoque per se motivum et lumen suasivum *ut quod* credendi: *secundus* est, si Deus reflexe illustraret credentem, se habere tantam apparentiam internam et directam credibilitatem de revelatione divina vera, quantam Deus non potest dare aut permittere de revelatione solum existimata; quo casu illustratio rursus esset novum motivum et lumen suasivum *ut quod* credendi, quia esset experimentale discerniculum, ut vocant, vel ratio, per quam credens discernat revelationem veram a pure existimata: *tertius* est, si per illam Deus nec actualiter revelet, mysteria hæc aliquando esse revelata, nec reflexe illustret de tanta apparentia credibilitatis interna, quantam non potest permittere de revelatione pure existimata; sed solum directe illustret circa vim motivorum credibilitatis: quo casu illustratio est lumen suasivum duntaxat *ut quo*; quia solum subjective se habet, nec reflexe cognoscitur, nec etiam reflexe cognita habet se per modum motivi objectivi aut luminis suasivi *ut quod*: unde et hic distinguimus præsentem illustrationem ab illo discerniculo *ut quo*, quod exercite facit talem propositionem articuli veri, ut nunquam detur similis propositio articuli falsi, quodque quidem SUAREZ dicit probabiliter asserti posse, communius tamen ab aliis negatur.

174. *Nota III.* Sententia negans certitudinem credibilitatis *respectivam* sufficere, duplici ratione ac via progreditur: secundum *priorem* enim requirit certitudinem absolutam; secundum *posteriorem* certitudinem quidem *respectivam* admittit esse sufficientem, non tamen se sola, sed una cum illustratione certitudinis defectum supplente. Quamvis vere a plerisque facile concedatur, Deum ordinarie pueros ac rudes per illustrationem juvare modo *tertio* supra exposito; bina tamen Auctorum classis hoc certitudinis adminiculo non acquiescunt. 1<sup>a</sup>. Est Hæreticorum, qui spiritum privatum pro fidei suæ regula applicante statuentes, exigunt illustrationis modum primum. 2<sup>a</sup>. Est Catholicorum quorundam, qui alterum illustrationis modum tanquam necessarium adoptant. Inter hos, secundum *Perez*, rudis, proposito articulo vero, experitur in se, quod de eo dubitare non possit; proposito autem falso, quod nequeat non dubitare: secundum *Pallavicinum*, illustratio illa supernaturalis de se ipsa, ubi verum articulum proponit, quasi dicit: Ego sum vox Dei, a natura non imitabilis, et reddo te certum, quod instructor hunc articulum docens verum dicat: secundum *Esparzam*, res ita procedit: propositio mysterii revelati, dum fit ab instructore fidei, est extrinsece et quoad modum supernaturalis, quatenus hæc substituitur fidei supernaturali, et conceptui supernaturali de divina doctrina, a quo illa etiam propositio oritur. Porro ex hac in audiente supernaturaliter bene disposito nascitur cognitio illius conceptus in instructore existentis, seu illuminatio supernaturalis et instinctus Spiritus sancti: hujus denique beneficio rudis discernit, quod instructor verum mysterium docens proponat doctrinam divinam; unde tandem ad judicium credibilitatis determinatur.

175. *Dico I.* Sufficit certitudinem judiciorum, fidem infusam præcedentium, pro rudioribus esse *respectivam*.

*Prob.* Sufficit ea judiciorum certitudo, quam Deus instituit, et qua fideles semper acquieverunt in negotio fidei: sed Deus respectu rudiorum instituit certitudinem *respectivam*, et ea fideles semper acquieverunt; ergo.

*Pars. 1<sup>a</sup>. min.* patet ex Levit. 10. 11. et Deut. 1. ac 4., ubi Deus mandavit sacerdotibus docere populum legem et ceremonias; unde Malach. 2. 7. dicitur: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Deinde idem officium injungitur parentibus Deut. 6. 7. *Narrabis ea filiis tuis*; et 32. 7. dicitur minoribus: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi.* Denique Christus Matth. 23. 1. *Locutus est ad turbas et discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite.*

*Pars 2<sup>a</sup>.* liquet ex plurimis exemplis credentium populi et parvulorum tum in Veteri tum maxime in N. T., ubi ad simplicem verbi divini prædicationem, aut ad signa quædam certitudinem *absolutam* non præstantia, fides sæpe ab auditoribus habita fuit; qualia in Act. Apost. passim præstant. Accedunt quotidiana exempla conversorum ab hæresi vel infidelitate rudiorum ad fidem, apud quos vel ingenii hebetudo vel prædicationis ratio sæpe majorem *respectiva* certitudinem aut non permittit, aut de se non assertit.

*Conf.* Tum ex testimoniis S. Aug. supra laudatis; tum ex effectu hujus *respectivæ* certitudinis, qui est exclusio prudentis dubii ac formidinis de existentia revelationis.

176. *Nec dicas 1<sup>o</sup>.* Certitudo *respectiva* est communis articulo vero et falso, ut patet in casu, quo Parochus eodem modo proponeret incarnationem Verbi et Spiritus sancti; ergo non sufficit ad fidem infusam, sicut ad scientiam non sufficit certitudo communis objecto scientifico et non scientifico. *Conf. 1.* Certitudo et credibilitas *respectiva* habet prædicatum, quod si cognoscatur, fundaret prudentem formidinem, scilicet posse convenire articulo falso; sed non sufficit ad fidem infusam certitudo et credibilitas, habens simile prædicatum; tum quia alias sufficeret notitia tantum probabilis cum inadvertentia probabilitatis oppositæ: tum quia hæc certitudo fundatur in *ignorantia*; unde adveniente notitia de illo prædicato, prudenter repudiari posset assensus fidei supernaturalis, quod tamen proscriptum est ab Innoc. XI. in prop. 20. aliquoties jam recitata. *Conf. 2.* Ut aliquid credatur fide divina a tota Ecclesia, debet esse absolute certum; ergo idem etiam dicendum est respectu cujuslibet fidelis.

*R. D. M.* Certitudo *respectiva*, prout est *in se* circa articulum verum, est communis articulo vero et falso *N.* prout discernibiliter nobis apparet *C.* Prior certitudo *respectiva* importat illustrationem divinam tum directam de articulo ut revelato, tum reflexam de ipsius credibilitate; hæc vero saltem *directa* illustratio circa articulum falsum dari nequit. Cum vero credens non discernat inter illustrationem illam, ac naturalem cognitionem de eodem objecto falsam; hinc, prout certitudo et credibilitas discernibiliter apparet, communis est articulo vero ac falso. Scientiæ certitudo importat evidentiam veritatis, adeoque communis esse nequit objecto non scientifico; e contra

certitudo fidei potius evidentiam abesse desiderat; certitudo autem credibilitatis evidentiam ex dictis non exigit, sed sufficiens agnoscitur, si prudentem oppositi formidinem excludat.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>. R. T. M. N. m.* Nam 1<sup>o</sup>. etsi hic et nunc non detur advertentia ad probabilitatem oppositam, tamen qui probabiliter cognoscit, experitur se non certificari de objecto propter debilitatem motivorum, quibus nititur; si vero ratione inadvertentiæ contingat, intellectum firmiter adherere objecto ejusmodi; jam non est cognitio formaliter probabilis, sed respectivè certa, et cum prudenti formidine impossibilis. 2<sup>o</sup>. Certitudo illa per accidens et negative tantum fundatur in ignorantia, per se autem et positive fundatur in auctoritate instructorum, et quorundam motivorum credibilitatis, quibus multum roboris addit divina illustratio. 3<sup>o</sup>. Sensus propositionis damnatæ, quo ab Auctoribus tradita fuit, teste *Cardenas*, obscurus est; et quamvis propter sententiam nimis generalem per se damnari potuerit, tamen probabilius videtur fuisse hic: quod possit quis prudenter repudiare assensum fidei supernaturalem, quem prius habuit, quantumvis maneat eadem, aut saltem æqualis apparentia veritatis et credibilitatis; ita enim colligitur ex contextu propositionis antecedentis, cum quæ per particulam *hinc* connectitur, et sequentis. Nam prop. 19. hæc est: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*; 21. autem: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia tantum probabilis revelationis*. Unde patet, sensum Auctoris fuisse, quod assensus fidei sit mere probabilis, adeoque possit prudenter repudiari non minus quam assensus probabilis, manente eadem apparentia veritatis et credibilitatis; præsertim cum repudiare non sit simpliciter dimittere aut amittere, sed nolle assensum, cum haberi aut retineri possit. Jam vero nec certitudo respectiva est assensus probabilis, nec, stante certitudine respectiva, repudiari juxta nos potest fides; quin, sublata etiam certitudine illa, nequidem mutatio prudenter fieret circa assensum fidei vere talem; nam prudentia per se exigit, ut rem semel pro articulo fidei habitam non facile deseramus, sed veritatem prius debita ratione indagemus. Hoc vero et quod in se est facienti Deus non deerit, sed illustratione sua aut medio alio juvabit, ut assensum fidei supernaturalem semel elicitum possit prudenter retinere.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>. R. Disparitas* est, quia Ecclesia, ex Spiritus sancti assistentia, habet infallibile donum discernendi revelationem veram a falsa, quod donum cuilibet fideli minime datum est.

177. *Nec dicas* 2<sup>o</sup>. Certitudo respectiva est solum *negativa*, stans in eo quod rudis non habeat prudentem rationem dubitandi: sed hæc imprimis non sufficit ad eliciendum actum fidei, sicut non sufficit ad hoc, ut credat quis se esse in statu gratiæ: deinde non impedit, quominus possit rudis non credere; cum negando assensum non negaret, quæ Deus dixit, sed tantum id esse a Deo revelatum, quod instructor proponit, atque hinc non faceret mendacem Deum, sed instructorem, nec contra fidem, sed contra pietatem peccaret; ergo. *Conf. 1.* Rudis, sub certitudine respectiva credens, ita credit, ut, si contrarium ipsi proponeretur ab eodem vel majore instructore, crederet contrarium: sed sic credens non habet fidei firmitatem, quam requirit

Apostolus ad Galat. c. 1. scribens: *Licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*; ergo. *Conf. 2.* Multi infideles habent certitudinem respectivam suorum dogmatum; quia hæc illis per suos instructores eodem modo proponuntur, quo rudibus nostris proponuntur veritates Catholicæ: ergo, si respectiva certitudo sufficit, etiam infideles tenentur firmissime credere sua dogmata; ergo et illa credunt superna Spiritus sancti motione.

*R. N. M.* Certitudo respectiva est *positiva*, licet non absoluta; quia rudis positive scit Parochum ad doctrinam cœlestem docendum esse publice constitutum, idem credere alios Christianos, et parentes, quos ipsa natura ipsi Magistros constituit; adeoque positivum fundamentum, et hinc certitudinem positivam, licet respectivam duntaxat habet. Hinc

*Ad 1<sup>am</sup>. Disparitas* est, quia ad fidem de vera pœnitentia aut statu gratiæ hominis particularis habendam non dantur positiva signa credibilitatis, nec præceptum divinum hoc credendi, adeoque fides firmissima prudenter elici nequit; quæ tamen pro nostro casu interveniunt.

*Ad 2<sup>am</sup>. R.* Sicut Regi est injurius, qui legem sibi sufficienter propositam negat esse promulgatam, et quavis transgressione culpam admittit, etiamsi Regis auctoritatem ad leges condendas non neget; ita cum incredulis condemnabitur, qui negat revelationem in nostro casu rudibus sufficienter propositam, etsi veracitatem divinam non inficietur.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>. R. D. M.* Rudis ita credit, hoc est, credit cum tali animo, ut, si contrarium proponeretur, illud crederet *N.* ita credit, ut fundet in nobis hoc judicium, quod, si contrarium proponeretur, illud crederet *C.* Rudis ex notitia *respective* certa de revelationis existentia non cogitat de illo casu, quo alius cum æquali apparentia instrueret illum de opposito, nec expedit, ut de illo cogitet: quin exercite supponit, talem casum esse impossibilem. Nos tamen nihilominus prudenter judicamus, ab eo tunc credendum esse falsum: sicut aliquando prudenter judicamus, pœnitentem esse rite dispositum, et is etiam firmissimum habet propositum non peccandi; quamvis nihilominus etiam prudenter judicemus, eundem, superveniente gravi tentatione, iterum peccaturum. Ad textum Apostoli respondeo esse hyperbolen, et suppleendum per conditionem hanc: *si id fieri posset*. Quare non intendit immobilitatem fidei pro illo casu impossibili, sed firmitatem de presenti super omnia, ac præcipue super auctoritatem judaizantium, seu qui Judaïsmum prædicabant: hæc vero apud Galatas insufficientis erat ad extinguendam certitudinem etiam respectivam, quam habebant ex prædicatione Apostoli.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>. R. C. A.* de infidelibus idiotis *D. 1<sup>am</sup>. Cons.* Tenentur firmissime credere fide supernaturali, quæ scilicet essentialiter est vera *N.* fide naturali ac humana *C.* Hinc etiam *D. 2<sup>am</sup>. Cons.* Illi credunt superna Spiritus sancti motione, quæ sit ad conatum et imperium voluntatis *T.* quæ sit ad actum credendi, proponendo illius objectum ut verum *N.* Concedimus itaque cum *S. Avc.* et *communiore sententia*, dari interdum ignorantiam invincibilem nostræ Religionis in pueris et idiotis educatis inter Hæreticos, iisque posse suam sectam proponi ab instructoribus ut moraliter respectivè certam; supponimus tamen, quod facientibus quod est in se, Deus non deneget gratiam ad credenda saltem necessaria necessitate medi.

In eo etiam casu damus, quod infidelis ejusmodi debeat conari credere suam sectam ut revelatam a Deo, sicut invincibiliter judicans teneri se ad mendacium pro vita proximi tuenda tenetur mentiri; sed tunc nec fides subsequens erit, nisi *naturalis et humana*, nec hic intervenit illustratio divina, proponens objectum ut revelatum.

178. *Dico II.* Ut certitudo respectiva in rudibus sufficiat, non requiritur discerniculum experimentale.

*Prob. I. universim.* Discerniculum hujusmodi gratis omnino statuitur; tum quia experientia illud non testatur, cum rudium nullus id se expertum esse unquam asserere est ausus, et quam certitudinem rudes fideles appellerent, ad eandem etiam provocarent rudes sectarii: tum quia illud ratio nulla solida persuadet; partim quod ad firmitatem ac certitudinem fidei habendam sufficiat certitudo, excludens omnem formidinem prudentem a iudiciis fidei actum præcedentibus, quæ per respectivam certitudinem præstatur; partim quod firmitas fidei, utpote meritoria, non debeat provenire ex notitia experimentalis revelationis divinæ, sed potius ex libero imperio voluntatis captivantis intellectum in obsequium auctoritatis divinæ obscure propositæ.

*Conf.* Quia, hoc discerniculo admissio, sequeretur 1º. nec rudibus opus esse externa fidei regula; cum per illum instinctum discernere possent verum Scripturæ sensum a falso, sicut Parochi propositionem discernunt: nec aliis etiam necessarium esse controversiarum iudicium, cum ex unius pueri aut simplicis rustici responso res omnis decidi posset: 2º. illiteratos feliciores esse Theologis scientissimis, inter se non raro dissidentibus circa propositionem, an illa de fide sit, nec ne: 3º. nullum rudem posse in hæresin mere materialem deflectere; cum, stante hoc discerniculo, error non foret inculpabilis: 4º. instructorem ex inculpabili errore falsum dogma proponentem continuo posse erroris a rudi coargui etc.

*Prob. II. speciatim;* et quidem contra *Perez*: 1º. Hæretici tam parum sæpe dubitant de suis dogmatibus falsis, ac Catholici de veris, illisque se adhæsisse appetiuntive super omnia etiam post conversionem serio testantur. 2º. Vel illa experientia patet, ac est discernibilis, vel ambigua est, ac discerni nequit? *secundum* dici non potest; alias non determinaret ad iudicium evidens credibilitatis: neque *primum*; quia fidelium nemo, secluso speciali gratiæ privilegio, in se experitur miraculosam hanc dubitandi aut formidandi impossibilitatem. 3º. Nemo experiri potest, an possit vel non possit dubitare, nisi in ipso assensu fidei aut eoposito; cum ergo iudicium credibilitatis assensum fidei præcedat, illa indubitabilitas per discerniculum nequit afficere iudicium credibilitatis.

Contra *Pallavicinum*: 1º. Ejus discerniculum reipsa est revelatio privata, et quidem non mysterii, sed et miraculi, aliorumque signorum, ab instructore narratorum in mysterii propositi confirmationem; unde proxime saltem accedit ad spiritum privatum Hæreticorum. 2º. Si non est revelatio; ergo debet esse vel illustratio *subjective* tantum movens, ac non discernibilis; adeoque nihil a communi sententia eximium aut singulare dicitur: vel *objective* movet ac discernitur; atque hinc argumentis, ad universim proponendum allatis, opinio hæc jam devicta est. 3º. Vel rudes tenentur intel-

lectum; hoc instinctu illuminatum, submittere Ecclesiæ, vel non? si *secundum*; pro rudibus inutilis est Ecclesiæ infallibilitas: si *primum*; ergo ut credant, scire debent quod Ecclesia idem sentiat; adeoque ille instinctus, ut abstrahens a definitionibus Ecclesiæ, non sufficit rudi ad iudicandum, articulum a Parocho propositum super omnia esse credendum.

Contra *Esparzam*: 1º. Incredibile est, rudem hac via posse infallibiliter discernere supernaturalem assensum fidei in instructione, quem hic ipse non nisi argutive dicere potest, utrum supernaturalis sit. 2º. Rudis fidei divina credere non posset articulum etiam revelatum, si instructor eum proponens tum temporis conceptum supernaturalem non haberet, aut Hæreticus foret occultus, quantumvis doctrinam Catholicam profiteretur. 3º. Quicumque rudis, Scripturam sacram legens, certus fieret per similem instinctum de vero ejus sensu; cum verbum scriptum non minus conceptui substituitur, ac voce prolaturum.

179. *Nec dicas* 1º. Illustratio supernaturalis habet rationem testimonii et veræ locutionis divinæ internæ; hinc enim psal. 84. David dicit: *Audiam, quid loquatur in me Dominus*; et S. Aug. Tr. 3. in 1. Ep. Joan. n. 13. *Sonus verborum nostrorum, inquit, aures percutit; Magister intus est... si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster... quos Spiritus sanctus intus non docet, indocti redeunt*; ergo est lumen suasivum ut quod. 2º. Objectum fidei proponitur a Parocho, non nomine proprio, sed nomine Dei revelantis; ergo illustratio divina, vel ad ejusmodi propositionem, vel ad ejus perceptionem pertinens, fungitur officio revelationis. 3º. Hoc ipso, quod illustratio dicatur aliquid conferre ad certitudinem, illa partialiter saltem facit iudicium certum; adeoque rudis, supra hanc certitudinem reflectens, potest habere *discerniculum* articuli veri a falso per illustrationem.

R. Ad 1<sup>um</sup>. D. A. Illustratio prophetica aut alia extraordinaria habet rationem locutionis ac testimonii divini C. ordinaria et qualicumque *Subd.* habet rationem locutionis propriæ et strictæ talis, quæque objective, et per modum motivi ac rationis formalis moveat N. habet rationem locutionis minus propriæ talis, quæque subjective duntaxat et per modum principii agat C. De illustratione *primi* generis loquitur David, eamque non Prophetis duntaxat et Apostolis, sed et Sanctis aliis, ac præsertim Martyribus, etiam rudibus ac puerulis, in fide ejusque professione constantibus, non nego datam sæpe fuisse, juxta illud Christi promissum Matth. 19. 20. *Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini*. Quin et hujusmodi illustrationem locum habere in perpetuo surdis ac mutis, aut aliunde non habentibus sufficientem certitudinem credibilitatis respectivam (inter quos etiam Gentiles facientes quod in se est, sed homine instructore carentes, numerari possunt) maxime ad actum fidei circa necessaria necessitate mediæ eliciendum non abnuo: sed hæc extraordinaria et rariora sunt, imo in ordine ad iudicia fidei prævia accidere non debent aut possunt; cum ea alias statui deberent actus fidei formaliter tales. De *secundi* generis illustrationibus sermo est apud Augustinum, qui recte illustrationem non foris duntaxat sonantem, sed intus loquentem præter externas duntaxat gratias, a Pelagianis prius admissas, exigit. In his vero asserendis minime S. Doctor laboravit, ut iis prædicatum novæ revelationis

aut discerniculi, aut motivi objecti tribueret; sed potius vires illi ex parte subjecti vindicatum ibat, cum illustrationes non ad *facilius*, sed ad simpliciter, modo salutari scilicet ac supernaturali, intelligendum necessarias esse contenderet.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. N. A. Non enim requiritur, ut Parochus *strictè* loquatur nomine Dei, sicut Prophetæ olim loquebantur; sed sufficit, quod proponat doctrinam a Deo revelatam, confirmatam per miracula, et ab Ecclesia Catholica creditam: hac enim ratione rudis habere potest certitudinem respectivam, quod Parochus veram doctrinam proponat.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. N. 2<sup>um</sup>. *p. Ant.* Quamvis enim rudis, supra certitudinem de rebus ab instructore doctrinæ cœlestis reflectens, possit habere *discerniculum* suæ adhæisionis ad hanc veritatem potius, quam ad illam profanam aut ab alio propositam; id tamen non præstat talem certitudinem, quæ nequeat adæquari ad articulum fidei falsum; hinc per reflexionem etiam factam articulus verus a falso discerni nequit.

## ARTICULUS III.

## AN PRÆVIE AD ACTUM FIDEI REQUIRATUR PIA AFFECTIO?

180. *Dico.* Ad omnem actum fidei supernaturalis infusæ requiritur *pia affectio* seu voluntatis imperium immediatum, positivum et directum. Ita cum Suar., Lug. et alii communiter.

*Prob. AUCTORITATE.* Ad Rom. 1. 5. dicitur: *Accepimus gratiam ad obediendum fidei*: obedientia autem pertinet ad voluntatem; unde D. THOMAS in hunc locum Lect. 2. citans AUGUSTINUM probat, quod *his, quæ sunt fidei, voluntate consentiamus*. Ad Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam*: ubi nomine cordis significatur voluntas, ut explicat S. TH. Lect. 1.; unde Act. 8. 37. Philippus dixit: *Si credis ex toto corde*, h. e. ex tota voluntate, sicut de amore Dei ex toto corde præcepto intelligitur. Quæ quamvis detorqueri soleant in alium sensum et explicentur aut de voluntate *permittente*, aut de *mediata*; tamen interpretatio hujusmodi, quæ nimis violenta per se intelligitur, aperte a S. TH. hic q. 2. a. 9. ad 2. rejicitur. ARAUS. II. c. 5. docet, *initium fidei esse credulitatis affectum, eumque inesse nobis per inspirationem Spiritus sancti; corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem*. TRID. Sess. 6. c. 6. ait: *Fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum credentes*: ubi libera voluntatis motio ponitur post conceptam ex auditu fidem, h. e. post judicium credibilitatis. AUG. Tr. 26. in Joan. n. 2. *Intrare, inquit, quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens: credere non potest nisi volens*. Et L. de Præd. Sanctorum c. 5. n. 10. *Non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ; sed quia in electis præparatur voluntas a Domino*.

*Conf. RATIONE.* 1<sup>o</sup>. Ad assensum determinatum et positivum intellectus requiritur causa positiva determinans: sed fides est talis assensus, neque illius determinans causa positiva est ipse *intellectus*, qui in obscuris ab alio determinari debet; non est *motivum*; quia et hoc inevidens est, non obstantibus

præviis cognitionibus: nec est *objectum materiale*, utpote quod, etsi etiam ipsum sæpe obscurum non foret, actum fidei non facit aut infert; ergo. 2<sup>o</sup>. Assensus fidei debet esse liber et meritorius saltem moraliter et denominative; ergo. 3<sup>o</sup>. Quantamcumque etiam evidentiam habeant cognitiones præviæ, et quantumvis voluntas non resistat, illæ ad summum determinant intellectum ad assensum innixum illi evidentiam, et quoad firmitatem proportionatum; minime autem ad assensum obscurum innixum soli revelationi divinæ et firmiorem, quam mereantur illa motiva; ergo præter illas cognitiones etiam aliud requiritur, imperium nempe voluntatis.

181. *Obj. I.* Intellectus movetur et rapitur a vero; ergo non a voluntatis imperio. *Conf. 1.* Voluntatis necessatur ad amorem objecti, quod ut bonum quamvis inevidenter proponitur; ergo etiam intellectus ad *assensum* objecti, quod proponitur ut verum licet inevidenter. *Conf. 2.* Dæmones non habent *piam affectionem*, et tamen Jacobi 2. 19. credunt et contremiscunt; ergo fides absolute haberi potest sine voluntatis imperio.

R. D. M. Intellectus movetur et rapitur a vero evidenti C. a vero obscuro, aut solum probabili N. In his, ubi evidentia veritatis abest, subjective determinatur a voluntate, per suum imperium quodammodo supplente defectum evidentiam: quod quidem si fieri non posset, locum haberet propositio 19. ab INNOC. damnata.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* *Disparitas* est, quia obscuritas ac inevidentia, qua intellectui veritas proponitur, est quoddam malum intellectus et quædam species negativa falsi, adeoque sufficiens est, ne rapiatur intellectus ad assensum: nam sicut voluntas solum necessatur ad amorem objecti, si proponitur ut bonum sine advertentia ad rationem mali seu positivi seu negativi; sic etiam intellectus tantum in ratione veri necessatur. Obscuritas autem et inevidentia bonitatis non est malum voluntatis ne quidem negativum, saltem ita proprium ac est malum intellectus; adeoque non sufficit ad suspendendum exercitium amoris.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>.* R. D. A. Dæmones credunt actu fidei supernaturali N. naturali *Subd.* qui sit liberum obsequium intellectuale ac præcise respectu auctoritatis divinæ N. qui talis non sit C. Dæmonum assensus ad res revelatas nec liber omnino est, nec unice in auctoritate Dei revelantis nititur, cum ex naturali intellectus sui excellentia moralem saltem de fidei mysteriis aut de revelationis existentia habeant evidentiam: inde vero is etiam assensus in dæmonibus non est appetitive summus sed, proportionatus duntaxat motivis credibilitatis; adeoque ad illum non requiritur imperium voluntatis, quæ potius in illis veritati reluctatur.

182. *Obj. II.* Objectum formale fidei sufficienter applicatur intellectui, *mediate* per signa credibilitatis, *immediate* per illustrationem supernam; ergo superfluum est voluntatis imperium. *Conf. 1.* Evidentia credibilitatis non relinquit locum positivo dissensui, quia determinat ad hoc judicium: Revelatio non potest prudenter *negari*: et etiam determinat ad hoc: Assensus circa revelationem non potest prudenter *omitti*; ergo. *Conf. 2.* Ad credendum aliquid *fide humana* non requiritur pia affectio; dum enim viri plures iique graves rem aliquam factam affirmant, intellectus sine volun-